

tiam non opponi cum alia ex natura sua, sed posse simul cum illa conservari a Deo; solum autem non posse ratione alicujus communicationis, qua demonstratur sensibilibiter hoc esse totam substantiam ibi contentam: ad quam demonstrationem faciendam requiruntur accidentia contentiva illius substantiæ.

XVIII. Suarez vero disput. I, sectione x existimat requiri quod maneat accidentia separata, ut possit substantia panis desinere, quia ipse existimat substantiam panis non desinere in sacramento ex vi actionis constituentis ibi Christum, sed ex vi alterius actionis separantis accidentia a pane; illis enim separatis destruitur substantia panis, quasi ablatis dispositionibus, ut affirmat ibi sectione vi. Quare si aliquod accidens non separetur, a quo dependeat conservatio substantiæ, desitio illius erit pura annihilatio cum successione alterius substantiæ, quod non sufficit ad veram conversionem: sed si hoc ita est, etiam non sufficiet ad conversionem illa remanentia accidentium, quia tunc non destruitur substantia panis ex vi positionis termini ad quem, sed ex altera actione destruyente substantiam panis per remotionem accidentium, non per transitum in alterum terminum.

XIX. Cæterum S. Thomas citato loco, simpliciter et absolute affirmat talem conversionem fieri, quia utrique formæ, et utrique materiæ est communis natura entis; et id quod entitatis est in una, potest auctor entis convertere in id quod entitatis est in altera, sublato eo per quod ab alio distinguebatur. Quæ locutio est generalis de omni ente creato, nec requirit aliqua accidentia communia manere, sed solum quod convenient in natura entis transmutabilis; et tunc entitas unius convertitur in aliud, sublato

illo per quod distinguuntur; quod est tollere omnia prædicata unius, quia omnia prædicata, quæ sunt in uno, distinguuntur ab omnibus quæ sunt in alio, licet per similitudinem convenient in aliquibus.

XX. Quare dicendum est, quod substantia panis desinit, non ex vi separationis accidentium, sed quia est terminus a quo, ex quo fit corpus Christi, quia cum ista conversione fiat corpus ex pane, et vere substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi, ut definit Concilium Tridentinum, necesse est quod panis habeat rationem termini a quo, respectu corporis Christi, ut terminum ad quem; quidquid autem potest esse terminus a quo, in aliqua conversione, est incompatible cum termino ad quem; ergo ex illius transitu non potest compati cum illo. Non ergo ob istam desitionem oportet recurrere ad separationem accidentium, ut facit Suarez, sed ad incompatibilitatem cum termino ad quem, et transitum in illum; et multo minus ad verificationem verborum, ut recurrit Vazquez, si quidem Christus ut conversus necessario habet impossibilitatem cum eo termino a quo, unde fit conversio, et sic destruit illum; licet non repugnet per aliam actionem non conversivam panis in corpus Christi, poni illud corpus simul cum pane, si Deus vellet, ut supra late declaratum est.

XXI. Quod si panis et vinum habent rationem termini a quo, possunt converti in substantiam corporis et sanguinis Christi, etiamsi accidentia illa non manerent, sed destruerentur; eadem ratione potest quæcumque res converti in aliam, sive remaneant accidentia, sive non, quia non habent majorem proportionem panis cum corpore Christi, et vinum cum ejus sanguine, ut in illum convertantur, quam ignis

cum lapide, vel cum aqua, aut quodlibet ens cum alio ente, si quidem tota vi istius conversionis non nititur in proportionem ipsorum extremorum inter se, sed in virtute infinita Dei, qui totius entis est auctor, et potest hanc entitatem in illam convertere, ut dicit S. Thomas, sicut potest ex nihilo rem quamlibet facere. Unde quod dixit Paludanus, requiri ad hanc conversionem ut extrema sint ejusdem materiæ, quia ea quæ in materia communicant, sunt convertibilia, non tenet in hac conversione, sed in conversione formali, ubi duæ formæ succedunt in eadem materia, quia est capax utriusque: in hac autem conversione non supponitur materia capax utriusque, quia ipsa etiam materia convertitur in aliam, cum autem dicitur, quod ad veram conversionem requiritur, quod maneat aliquid commune utrique extremo, et non pure sit successio duarum substantiarum.

XXII. Respondetur, non requiri quod maneat aliquid commune physice, sive substantiale, sive accidentale; sed sufficit quod maneat aliquid commune logice, vel metaphysice, id est, aliquid simile, licet non idem. Neque enim aliquod prædicatum quod est in pane, manet idem in corpore Christi, sed totaliter destruitur substantia panis; manet tamen aliquod prædicatum simile, saltem in ratione entis, quia conveniunt in natura entis; et non requirit amplius S. Thomas in verbis supra relatis, nisi quod utrumque extremum conveniat in ratione entis, ut possit hæc entitas transire in illam.

XXIII. Quod vero aliquid physicum commune utrique extremo remaneat, non requiritur; nam nihil substantiale commune remanere in hac conversione certum est de fide. Quod vero remaneant accidentia,

est omnino extrinsecum huic conversioni in se, et substantialiter consideratæ, quia illa accidentia non se habent ut extrema conversionis, neque ut terminus a quo, quia non desinunt; neque ut terminus ad quem, quia in illa non fit conversio; ergo non requiruntur intrinsece ad istam conversionem, si quidem intrinsece et essentialiter perficitur conversio ipso transitu utriusque extremi. Accidentia ergo solum manent ut aliquid extrinsece contentivum, non ut pertinens intrinsece ad substantiam panis.

XXIV. Ultimo colliges ex dictis, in hac conversione panem non annihilari. Communis est hæc sententia inter Thomistas, et illam docet S. Thomas hic art. III, licet aliqui auctores dixerint panem annihilari, ut Gabriel, Major, Ocham, et alii, tribuiturque Scoto in IV, dist. XI, quæst. IV, qui tamen modum loquendi de annihilatione conatur vitare. Aliqui etiam censurant hanc opinionem esse erroneam, ut Soto in IV, dist. VII, quæst. II, art. IV, tamen S. Thomas solum appellat illam falsam. Neque est dubium quod considerando hanc conversionem ut includit utramque mutationem, tam circa Christum quam circa panem, non possit dici annihilatio, quia sic tolleretur conversio, quod est contra fidem; neque enim daretur terminus positivus in quem conversio fieret, si totum esset annihilatio. Unde nullus theologus sentit totam hanc conversionem annihilationem esse, sed solum loquendo de mutatione illa, quæ est circa panem præcise, quæ est mutatio privativa, seu destructiva, dicunt illi auctores esse annihilationem, quia prout sic panis totaliter desinit; et pro hac parte volunt esse annihilationem panis, quæ tamen conjuncta alteri mutationi positivæ circa corpus Christi, sufficit ad conversio-

nem constituendam, quæ ex illa duplici mutatione consurgit, licet altera dicatur annihilatio.

XXV. Nihilominus ratio quare negatur annihilatio panis, varie redditur a theologis; sed omnes sufficienter eam attingunt; quidam enim intelligentes annihilationem solum considerari, et tenere se ex parte termini destructi, dixerunt aliquid positivum panis remanere, ratione cujus non dicitur annihilari; sed modo hoc est erroneum post definitionem Tridentini. Alii posuerunt non esse annihilationem, quia remanet substantia panis in potentia obedientiali, si quidem potest Deus iterum convertere corpus Christi in panem; et sicut in corruptione naturali non annihilatur forma, quia manet in potentia materiæ, ita nec annihilatur panis, quia manet in potentia obedientiali cujuscumque rei, quia ex quacumque re potest Deus convertere, et facere de novo illum panem: hoc autem modo etiamsi annihilaret cælum, vel Angelum, maneret in potentia obedientiali aliarum rerum, quia ex quacumque re posset per conversionem reproduci a Deo, nec tamen propterea dicitur non annihilari. Alii dicunt manere aliquid panis (scilicet accidentia quæ ad panem pertinent) et ita aliquid de illo manet non substantiale, sed accidentale. Sed hoc nihil est, quia bene potest Deus annihilare unam entitatem sine alia, scilicet substantiam sine accidentibus: cum ergo accidentia sint distinctæ entitates a substantia, quid prohibet annihilari substantiam non annihilato accidente, si suspenderet Deus concursum suum?

XXVI. Alii dicunt non annihilari, quia manet illa substantia imbibita et absorpta in corpore Christi; vel quia ejus desitio ordinatur a Deo ad ponendum hic corpus Christi; sed

illud absorberi, et imbibere in corpore Christi, non dicitur proprie, sed metaphorice, quia panis sic imbibitus non manet panis, sed totaliter desinit. Cur ergo illa desitio non est annihilatio, licet vocetur absorptio; illa vero ordinatio ad ponendum Christum non tollit veram annihilationem, quia est ordinatio extrinseca, et solum ex voluntate Dei, non per se intrinsece in desitione panis inclusa, nisi id reducamus ad rationem S. Thomæ statim ponendam; sola autem extrinseca ordinatio non tollit annihilationem, si alias in se est totalis desitio.

XXVII. Quare melius S. Thomas annihilationem negavit, non considerando aliquid positivum, sive in actu, sive in potentia, quod remaneat de ipso pane (vere enim totaliter desinit) sed considerando ipsum modum desinendi, quia convertitur in aliquid, non autem vertitur in nihil; annihilari autem est converti in nihil. Et sic inquit S. Thomas in hac quæstione LXXV, art. III ad tertium: « Quod quia id, in quo est conversa substantia panis, est aliquid, scilicet corpus Christi, ideo substantia panis non est annihilata. » Tota ergo ratio apud S. Thomam negandi annihilationem panis, est quia panis convertitur in aliquid: ergo non annihilatur. Patet consequentia, quia annihilari est converti in nihil: ergo si convertitur in aliquid, non annihilatur, licet ex consequenti destruat ex positione termini incompossibilis cum illo.

XXVIII. Itaque ad annihilationem non sufficit quod aliquid in se maneat destructum, et non habens esse; sed ulterius requiritur, quod nec maneat in se, nec de illo aliquid fiat. Si enim de illo fit aliquid, ipsum non fit nihil: ergo non annihilatur, quia nihil aliud est annihilatio, quam fieri nihil. Frustra ergo laborant qui ad negandum annihi-

lationem, recurrunt ad hoc, quod remaneat aliquid de tali re, sive in actu, sive in potentia, quia etiamsi non remaneat, tamen si ex illo fiat aliquid, hoc ipso non annihilatur, quia non fit nihil. Sufficit ergo quod remaneat aliquid, quod ex illa re fit, licet res ipsa totaliter desinat in se consecutive, et secundo, sed desitio consecuta ad aliquid factum non sufficit ad annihilationem, quia talis desitio etiam in quacumque corruptione, quæ consequitur ad generationem, invenitur; sed oportet quod per se et directe tendat in nihil, ita quod terminus ad quem, sive in quem desinit, sit ipsum nihil, non autem terminus ad quem sit aliquid positivum, ex quo consequitur desitio ejus, quod se habet ut terminus a quo: et inde est, quod in annihilatione non requiritur actio, sed potius suspensio actionis et influxus, quia purum nihil non habetur influxu positivo, sed ex ablatione influxus.

XXIX. Pater Vazquez hic disput. CLXXXIII, cap. III, suam sequens sententiam, docet ideo panem non annihilari, quia convertitur in aliquid. Annihilatio autem est converti in nihil. Et quantum ad hoc bene dicit: subdit autem, ideo converti in aliquid, et non in nihil, quia enuntiat per verba sacerdotis hoc esse corpus Christi, quod non verificatur nisi destructa substantia panis. Quia ergo destruitur faciendo aliquid, id est, consecrando, seu dicendo illa verba, ideo non annihilatur panis; quia consecrando destruitur, non annihilando. Sed est plane ridicula explicatio, nam illa actio enuntian-di, seu pronuntiandi verba consecrationis, non facit aliquid nisi verba, quæ utique in se non sunt aliquid incompatible ipsi substantiæ panis, cum illi extrinseca sint, et solum extrinsece denominent: significatio autem verborum in tantum

est vera, in quantum a parte rei ita est, sicut per ipsa significatur. Cum ergo per verba significetur hoc esse corpus Christi, ita quod nihil ibi sit nisi corpus Christi, restat videre quid in re ponatur, vel fiat per quod destruat panis, an sola suspensio influxus conservantis panem; an vero aliqua substantia, seu terminus illi incompossibilis. Si hoc secundum, est nostra sententia; si primum, est annihilatio in re, quia in re destruitur panis per suspensionem influxus. Quod vero pronuntiat per verba significantia talem destructionem, seu suspensionem, nihil omnino obstat, quia illa verba extrinsece se habent, et non tollunt in re annihilationem fieri, si in re per solam suspensionem influxus desinit panis: sicut si aliquo pronuntiante annihilationem Angeli, Deus illum annihilaret, talis pronuntiatio non tolleretur quin esset vera annihilatio.

XXX. Denique pater Suarez hic disput. I, sect. VII sentit, quod panis non annihilatur, quia desinit non per suspensionem concursus, sed ex vi alicujus actionis positivæ; hanc tamen actionem dicit esse illam, qua Deus separat accidentia, et ponit illa sine subjecto; inde enim sequitur panem desinere, quia sine accidentibus non potest conservari. Unde consequenter concedit, quod si Deus separaret accidentia, et tamen non converteret substantiam panis in corpus Christi, vel in aliquam aliam substantiam, adhuc substantia panis non annihilaretur, quia desineret per illam actionem separativam. Quid autem esset tunc illa desitio, vel in quod desineret panis, non explicat Suarez, sed solum dicit esse desitionem in-nominatam, et generali nomine vocari desitionem panis.

XXXI. Sed hoc est inintelligibile, quia non potest in re dari aliqua

mutatio generica, quæ non habeat determinatam speciem. Omnis autem privativa mutatio et desitio rei, vel est in ipsum purum nihil, vel in aliquid. Si convertitur in nihil, est annihilatio; si in aliquid, assignetur ille terminus in quem desinat panis in tali casu, si quidem nulla res est in quam convertitur, nec aliqua substantia ibi succedit. Quare sola separatio accidentium non destruit substantiam, nisi habeat adjunctam aliam actionem substantialem, vel generativam vel conversivam totius substantiæ: sicut in generatione destructio dispositionum non destruit substantiam, nisi quia habet adjunctam introductionem aliarum dispositionum, et productionem formæ substantialis; quare ratio S. Thomæ sola est efficax.

ARTICULUS IV.

Quid sit præsentia corporis Christi in hoc sacramento, et quomodo cognoscatur.

I. Certum est de fide corpus Domini esse præsens realiter in hoc sacramento sub speciebus consecratis, tali modo, quod in qualibet parte specierum sit totus Christus, ut constat ex definitione Tridentini sess. XIII, cap. III, et canone III, ubi dicitur: « Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiæ sub utraque specie, et sub singulis cujuscumque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. » Ex qua definitione constat corpus Christi Domini ita esse præsens in hoc sacramento, quod non sit modo locali, et quantitativo, sicut corpus circumscriptum loco, quod est totum in toto, et pars in parte, sed ad modum rei spiritualis, quæ cum careat par-

tibus, indivisibiliter est tota in qualibet parte: sic corpus Christi ita est in toto pane, quod in quælibet illius parte, vel puncto, ubi posset esse substantia panis si non consecraretur, manet tota substantia corporis Christi, et non solum pars illius, si quidem fracta hostia, et separatione facta, in qualibet particula totus Christus sumitur, non pars illius tantum.

II. Quare præsentia ista corpus Christi duas habet conditiones; unam, in qua convenit cum præsentia rei spiritualis; alteram, in qua excedit illam. Convenit in eo quod utraque modo indivisibili facit rem præsentem (scilicet totum in toto, et totum in qualibet parte) excedit autem in eo, quod ubi, seu præsentia rei spiritualis, licet sit indivisibilis, tamen quia oritur a virtute finita et limitata, ita coarctatur et definitur ad certam distantiam et locum, quod ultra illam spheram non est; et ideo vocatur ubi definitivum. At vero præsentia corporis Christi oritur ex virtute infinita Dei convertentis panem in ipsum, unde ita est in uno loco et sacramento, quod non definitur et limitatur, ut non sit in alio, et ideo non est ubi definitivum, sicut præsentia Angeli, licet sit modo indivisibili; sed vocatur præsentia sacramentalis, quia ita est indivisibiliter et totaliter in qualibet hostia, et in qualibet parte illius, quod etiam in aliis hostiis et locis esse potest, si ibi consecratur panis.

III. Licet autem, non sit difficile intelligere, quod aliqua substantia corporea, remota quantitate indivisibilis maneat formaliter, quia non habet formam extensionis et divisibilitatis, quæ est quantitas, sed solum est radicaliter divisibilis, posset tamen aliquis quærere, an maneat quantitas in corpore Christi, supposito quod est præsens modo indivi-

sibili, et unde constet quantitatem manere sine suo proprio modo divisibili, sed ad modum substantiæ.

IV. Respondetur constare quod omnia accidentia absoluta Christi, quæ habet in cælo, et pertinent ad designationem et individuitatem talis corporis (quorum præcipue est quantitas) reperiuntur in hoc sacramento, idque deducitur ex principiis fidei certa ratione, ita ut oppositum aut esset erroneum, aut temerarium. Ratio est, quia de fide constat, et ex verbis Christi, hic poni corpus suum, esseque veram carnem et sanguinem illius: illud autem est corpus suum, quod habet ipse in cælo unitum tali formæ; hæc autem unio formæ ad materiam requirit dispositiones et accidentia, sine quibus non fit: ergo necesse est quod quantitas et accidentia Christi remaneant in hoc sacramento, nisi ponamus speciale miraculum, quo Deus de potentia sua conservat unionem formæ ad materiam sine ulla dispositione, quod tamen sine fundamento diceretur, quia est certissima regula in hac materia, nullum esse ponendum miraculum in eucharistia, quod non exigatur ex vi consecrationis; constat autem ex vi consecrationis non exigi quod forma sit in materia sine dispositionibus, quin potius oppositum exigunt illa verba: *Corpus meum*. Est enim corpus Christi quod est organizatum et temperatum, sicut corpus humanum, quod utique sine quantitate et qualitate disponentibus stare non potest.

V. Item vera caro et verus sanguis exigunt diversa temperamenta, quia sanguis est liquidus, caro est densior, et ossa sunt duriora, quod sine accidentibus intelligi non potest, scilicet raritate, densitate, quantitate, organizatione. Dicere autem, quod formaliter non est hic

caro Christi, neque sanguis; sed radicaliter, quia est substantia Christi exigens dispositiones illas carnis et sanguinis, non tamen actu illis affecta, omnino esset erroneum et temerarium, quia contra omnes doctores scholasticos, et contra proprium et per se significatum illius nominis caro et sanguis, quo significatur corpus sic dispositum, et illis accidentibus affectum, quibus caro et sanguis organizantur et distinguuntur. Itaque accidentia ista absoluta entitative sunt in corpore Christi, licet non modo quantitativo, quia iste modus non pertinet ad essentiam ipsam quantitatis, sed ad localem extensionem, quæ est secundarius illius effectus, et potest impediri de potentia absoluta. Accidentia autem relativa in ordine ad locum et situm possunt variari in cælo et in sacramento.

VI. Secundo inquiri potest, an ex vi hujus præsentiae maneat corpus Christi unitum speciebus sacramentalibus, et quæ unio sit illa. Nam quod sit unitum, dubitari non potest, quia ad motum specierum movetur etiam corpus Christi; neque enim quando movetur hostia, remanet corpus Christi extra illam: non posset autem moveri ad motum specierum, nisi esset illis conjunctum, quia nihil movetur ad motum alterius, nisi illi conjunctum sit. Quænam vero sit ista unio, difficile est explicare; neque enim illa accidentia inhærent corpori Christi, cum non sint accidentia ipsius, sed panis; ergo illa unio non est per inhærentiam, qua in accidentibus contineatur corpus Christi, sicut liquor continetur in vase, vel corpus sub veste, quia Christus Dominus non est modo locali et circumscriptivo intra illas species, sed modo indivisibili: ponere autem unionem spiritualement corporis Christi erga illa accidentia, non videtur